

1528 *mam apud cunctos mortales laudem consequuti estis, Venetæque Reipublicæ in sanctissimam Sedem merita mirifice auxistis, nec non extulistis. Quid igitur causæ est, ut consilia immutemus, quodque semel polliciti fuimus, præstare hoc tempore nolumus? Vereor, Patres optimi, ne hujusmodi Senatusconsulto quam semper summo studio Reipublicæ fidem, ac dignitatem servastis incolumem, eidem notam foedissimam inuratis. Quid enim Gallos, quid Anglos, quid Italas gentes dicturas arbitramini, quæ miris antea laudibus Reipublicæ prudentiam, ac pietatem ornaverant, nisi nos, ut Flaminie civitatibus potiremur, præclarum hoc, & plausibile observantiæ in Apostolicam Sedem nomen obtendisse? An non idem Senatus, non iidem vos, qui opem afflictis Flaminie rebus tulistis? non eadem causa? Immo si recte perpendimus, præsens rerum status id maxime hortari, ac suadere videtur, ut quamprimum hanc suspicionem ex Clementis animo tollamus, quo Reipublicæ in illam egregia voluntate perspecta, recentique hoc beneficio devinctus, omni hesitatione amota, fœdus complectatur, auctoritate, ac religionis majestate tueatur; qui si ad Carolum accesserit, haud dubium est, quin summum fœderatorum rebus detrimentum sit accessurum. Novit hoc Cæsar; ideo nullum officii genus prætermittit, quo sibi Clementis animum recenti clade exulceratum mulcere, allicere, atque sibi conciliare queat; variis hinc inde curis, ac sollicitudinibus Clementis premitur; nisi oppida restituantur, minas intentat. Quid Cæsarem hanc occasionem nactum facturum putatis? nisi, vobis pernegantibus, iras accensurum, stimulos additurum, ut perturbatum, atque agitatum ingentibus pollicitis a sociis sejungat, atque ad sese rapiat? Id si acciderit, quis non videt majora parari bella; acriori incendio Italiam omnem conflagraturam; nullam concordie, ac pacis spem reliquam futuram? Non pertenuis lucrispe, parvaque finium adjectione ultro in tot bellorum fluctus, ac turbines Rempublicam coniecistis; non duarum urbium potiundi spe septuaginta centena aureorum millia profudistis. Majora, atque excelsiora jam tum mente providebatis, cum vobis Italice dignitas, ac libertas ante oculos esset; cum unam illius retinende, ac servande rationem esse inspiciebatis, si Franciscum Sfortiam avito imperio restitueretis; si Cæsaris dominandi libidini obsisteretis; si arma vestra cum Gallis jungeretis;*